

PRÆCLARORUM  
ALIQVOT VIRORUM

PIA DOCTAQVE VOTA  
SOLENNITATIBUS NUPTIARUM

MARTINO-WELLERIANIS,

In ELECTORALI DRESDA

*Die XVII. Novembr.*

*Anno M DC LXII*

*celebratis*

apprecata AMICE

E diversis locis transmissa.



Typis Melchioris Bergen.



**D**UM CHRISTI ob varias turbas Ecclesia luget,  
Dumq; necat mundus turbine se vario,  
Pacis opus tractas, & gaudia priva celebras,  
Vir Magne, in thalamum filiolum socians.

O utinam Domini caperet quoq; gaudia Sponsa,  
Inq; altâ coleret foedera pace sua!

Nil ago! Sunt hujus secli certamina tanta,  
Sic agitat Sponsam Sponsus amorifluus.

Gratulor interea Vobis sacra festa, precorq;  
Ut torus instructus perpete pace fluat!

*Ita Reverendissimo & Magnifico Dn. Parenti festivi-  
tatem nuptialem filiae dilectissimae celebranti, &  
novis nuptiis simul honoratissimis gratulatur &  
vovet cordicitus,*

ANANIAS Weber / D.

Vratislaviensium Ecclesiarum Su-  
perintend. & Gymnasiorum ibid.  
Inspector, & Consistorii August.  
Confess. Assessor.

---

**S**I contra mortem medicamen quaeris, en illud  
VIRGINITAS. Papæ sic Schola casta docet.  
Idq; ex his verbis: *non mortua, nempe, puella.\**  
Hinc *immortalis virgo*. quis ambigeret?  
Dixero quin potius; mortem fugat ista puella,  
Quæ sanctè in Dominò nubit, ovansq; parit.  
Sic namq; in sobolis Domino nutrita ea vivit  
Nomine, sic vivam posteritas celebrat.  
Sit, precor, & mortis *Welleria* nostra *puella*.  
Expers! *Welleri* floreat usq; Domus!

\*Ita Job. Jeboda in alloc. sacro.  
hoc anno Praga editis p. 339.

Ita animitus vovebat Lipsiae ipsa  
Domin. XXIV Trinit. deproperans

MARTINUS GEIER D.  
Prof. P. Superint. & p. t. Decanus,

IN  
NUPTIAS  
MARTINO-VVELLERIANAS

EPIGRAMMA.

Jungitur hic MARTI WELLERIA BELLA PUELLA:  
Ominor: Indicit casta DUELLA Venus,  
Arma gerunt Charites: VICTORIA certa parata est.  
BELLANTUM meritus PALMA TRIUMPHUS erit,  
Fausliter acclamo: Feliciter omnia cedant!  
Floreat æternum WELLERIANA DOMUS!

f.  
gratulabundus

SAMUEL Sange / SS. Theol. D.  
Ejusd. Prof. Publ. & ad D. Nicolai  
Pastor.

---

Quid, queso, quid Tibi, Candidissimum pectus  
Themidosq; Lumen singulare, MARTINI,  
Primo aut secundo gratulabor applausu?  
Utrumq;, & omne, quod Tuis abundanter  
Meritis decus respondet, haut levem postit  
Descriptionem. Scilicet gravis Sparta  
Quam sustinebis, quanta laus & Exemplum!  
Et quantus est aut ardor aut honor vite,  
Quam mox subibis VIR NOVUS maritalis!  
Velim utiq; tantum Temporis mihi restet,  
Ut serius ego tam nobilis boni Præco  
Calamum sic satis efferre buccinatricem  
Tuasq; possim ex debito sequi Laudes,  
Sed interim se vota concatenatos  
Inter labores, Magne AMICE, commendent.  
Te LEUCORIS primarium recognoscat

Diug.



*Ding, laudet Juris Antecessorem*  
*Te Fama SOGERI (at isthac quanta?) WELLET*  
*Ad usq; seros prosequatur annorum*  
*Tractus: Ita omnes posteri Tibi asurgent.*

Amico desideratissimo festinantissimo  
scrib.

ENOCH GLAESER, 7. U. D.

& in Illustri JULIA NOVELL.

Profess. Ordinar.

---

**D**Effet adhuc MARTINI Academia busta PROFESSI,  
Cujus in his humeris corpora humanda tuli.

Sed mea jam Solquella facit; MARTINUS ut ALTER  
Haud desit, licet is Juris Honore satus.

Res ea, jam gesta similis mihi tota videtur;  
Cujus enim corpus pars quoq; dena, tuli;

LYSERI, Soboles mihi quondam chara, Parentis,  
Inde Professorum Juris honore nitet:

Ex quo chara mihi Mater Witeberga relicta,  
Cujus, ob hoc NOMEN, latus honore fui.

Sicut is ergo MEUS, Lyserum rite Lyserus,  
Post se jam reliquum fecit, honore pari.

Sic Solquellensem, Martinus Saxo, relinquit,  
Nè suus huic Urbi jam quoq; desit honor.

Te, Theodore, DEO nobis concessit Datore  
Munera MARTINI sunt rediviva data.

Sicut Lyseri rediviva in nomine, Fili,  
Sis licet ex lumbis portio Marchiacis.

Sed velut ista SENEM MARTINUM Pectora amârunt  
Sic Tibi, MARTINO, Sponse, parata, vigent,

Rara licet res sit, qui Consiliarius audit  
In Cathedris: tamen est res; ea rara licet.

Septima

Septima Martini Luxtum, post festa reponet

Et post Martini, Lunæ erit illa dies.

17. Nov.

Hæc faciat LUNAM, WELLERI deniq; NATAM

Tertia descendet Gaudia abinde mihi.

WELLERUM novit Witeberga, ut TROSTIUS ALTER,

ALTER MARTINI, dum fuit ILLE, fuit.

Sin minus aspiciet sobolem WELLERUS, Honori

Correspondentem, quâ Witeberga, Marem:

Cernet is, INSPECTOR SUMMUS, quod Filia Nomen,

WELLERI servet, quâ Witeberga viret.

Succurrit quartum, quo Tecum gaudeo, munus

Sponse, quod hæc Patris, Neptis amanda, mei.

Ille est Röberus Sermone & Mente disertus,

Ultima Terrarum Suada, verenda, DEI

Hic Redivivus erit simul hõc WELLERIO AMORE,

Cujus id est totum, quod Tibi dulce, latus.

Ergo ornate Pares, Witebergam & Saxonis Aulam,

Theiologos nobis, Juridicosve, date.

Vivite felices! WELLERUM cingite Patrem.

Ut faciunt olea, vitis ut ampla facit.

Sic olim mundum simul amplificabitis altè,

Et Cœli cives, post, capietis, humum.

M. Johannes Heinzelmannus,

Superintendens Palæo-Soldquellensis.

---

### INFIT ADONIS.

**I**nclite DOCTOR,

Sponse canende,

Inclita VIRGO

Sponsa canenda,

Par geniosum,

Par generosum,

Numine fausto

omine dextro

consociatum,

accipe, queso

quæ Tibi mente

fausta precanti

commata pango.

Scilicet æquum.

Sponse colende,

Scilicet æquum

Sponsa colenda,

Nobile vestri

Fœdus amoris.

Nobile vestri

fœdus

*fædus honoris  
ad radiosâ  
carminis æstro  
Sydera ferre*

*Nam Tua Virtus  
O Neonymphe  
& studiorum  
fama Tuorum  
& celebrata  
gratia morum  
Te super ipsâ  
lumina cæli  
sponte locavit.*

*Te Tua Virtus  
O Neonympha,  
tam memorandi  
tam venerandi  
Nata Parentis,  
Te decus oris  
Te decus omne  
undiq; Nymphis  
equiparandam  
sistit in urbe  
sistit in orbe.  
Inchlyta abinde  
gloria utring; (E)  
Martiniana (E)  
Welleriana (E)  
Röberiana  
Crescet in unum (hoc)  
Par geniosum  
Par generosum*

*fœdere amoris  
Numine dextro  
omine fausto  
consociatum.*

*Cernimus omnes,  
O Neonymphe,  
O Neonympha,  
Par geniosum  
Par Generosum,  
de sociali  
plaudere cunctos  
fœdere Vobis.*

*SAXO stupendus  
SAXO verendus  
SAXONIS UXOR,  
Ipsa stupenda,  
Diva canenda  
gaudia vestra,  
gaudia amoris,  
gaudia honoris,  
reddit honora  
reddit amœna.*

*Quicquid in Aula  
RUTIGERORUM  
numine fulget  
nomine nidet,  
omne id amori  
officiosum  
surgere vestro  
cernimus omnes.*

*Quicquid in alto  
Colle Sionis,*

*quicquid in alto  
Colle Heliconis  
vel meritorum  
vel studiorum  
nomine celsus,  
Omnis is ardet  
tam rosulentum  
tamq; venustum,  
Par sociale  
tollere verbis  
pangere metris.*

*Sanguine juncti,  
utpote JANUS  
Jurius agalma  
gemma Themistos,  
STARCKIUS ardor  
atheris almi,  
summa politæ  
gloria Musæ  
gaudia vestra (E)  
festa frequentant.*

*Ipsa Pœtis  
consona cunctis  
Musa Sibera  
concinit, euge!  
O Neonymphe,  
O Neonympha,  
Par geniosum,  
Par generosum!  
Addo ego Adonis,  
pectore fido  
voce canorâ*



*hac mea vota:  
Cara Parentis  
dextera Jovæ  
contegat ambos!  
Magna potentis  
gratia Jovæ  
protegat ambos!  
Multiplicentur  
latificentur  
adificentur  
atq; beentur*

*Multiplicentur  
prole frequenti!  
Latificentur  
sorte serenâ!  
Ædificentur  
posteritatis  
undiq; honore,  
Postq; beentur  
dante Jehovah,  
Post pia fata.*

*Sic ego vestris  
gratulor ausis:  
Det DEUS ipse  
maxima nostris  
pondera verbis  
pondera votis  
Vosq; perennî  
compleat imbre,  
imbre Salutum.  
Finit Adonis,*

**M. JUSTUS SIBERUS, P. L. Cæf**  
Pastor Scandanus.

